





15298.

1761 6

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CHRISTIANVS  
HANACCIVS**

IVRECONSVLTVS

DIGESTI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS  
SCABINATVS ATQVE ORDINIS IVRIDICI  
ASSESSOR EIVSDEMQVE SENIOR  
ATQVE R. T. DECANVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.







**P**erplures inter controversias, **COMMI-**  
**LITONES OPTIMI**, quas sanctioris  
puriorisque doctrinae confessores cum  
illis habent, qui Pontificis Romani  
aliorumque hominum placita ac tra-  
ditiones propugnant, ea, quae toti com-  
munis est papatui, non postrema esse uidetur, quando sin-  
gulis hominibus singulos adscribunt Angelos. Quamuis  
enim huius opinionis rationes aliunde repetere non pos-  
sint, nisi a superstitionis gentilium Iudeorumque com-  
mentis, quorum illi singulis hominibus singulos Genios  
datos esse credidere, i) hi uero unicuique proprium

A 2

quen-

---

i) Ita enim MENANDER, apud EVSEBIVM de *Praeparat.*  
*Euangel.* lib. XIII, p. m. 689,

Απειπτι Δαιμόνοις αὐδεὶ συμπαρέστατοι

Ευθύς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βλου

Aγα-

quendam Angelum, qui illius perpetuus satelles quasi sit ac comes, affiguntur; 2) nihilo tamen secius eam pertinaciter

pro-

Αγαθός· Κανοὶ γάρ Δάίμον' οὐ νομίσεον

Εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηστόν·

Omni homini Genius afflīt̄

Statim nato, uitae moderator

Bonus. Malum enim esse Genium,

Qui uitae noceat, putandum non est.

statuit, ac PLATO, Postquam autem omnes animae sicut uirae genus, prout cuique fors obligerat, delegerunt, tunc easdem ordine accedere ad Lachesis, hanc uero unicuique, ὃν εἰκετὸν δάιμονα, τῷτον Φύλων τοῦ βίου συμπέμπειν, νοῆσαι αὐτοπληγώτην τῶν αἰρεθέντων, Genium, quem optarint, uitae custodem simul mittere, ait, qui perficiat, quae uelit, itemque HORATIUS, Epist. lib. II, Epist. 11,

Scit Genius, natale, comes, qui temperat astrum.  
Alii uero duos Genios alterum bonum, alterum malum, adscripterunt hominum cuique, quos imitatus est HERMES Mandato VI, apud b. FABRICIVM, in Bibliothecae Graec. Vol. V, p. 23, Δύο εἰσὶν Αγγέλοι μετὰ τοῦ αὐθείου, εἰς τὴς διαιστήντης, νοῆσι τῆς πονητας. Duo sunt Angeli cum nomine, alter aequitatis, alter iniuriantis. Quem secuti sunt Patres alii. Conf. Notae ad Patres Apostolicos COTELERII, Vol. I, p. 93, CENSORINVS de die Natal. c. 3, DIETERICVS Antiqu. Bibl. p. 169, seqq. et, quos allegauit WOLFIUS in Cur. Phil. ad A&T. XII, 15, auctores.

2) Id quod de iis, qui circa et post Christi aetatem nixerunt,

S. S. S.

IV

propugnant, et tum ad sacra sanctissimi Spiritus monumenta audacter prouocare non erubescunt, tum priscae simul aetatis doctores, secum consentientes, appellare consuerunt. At enim uero, ut multum abest, ut diuini scriptores ab ipsorum sicut partibus, quemadmodum paulo post dicemus, sic, nec veterum doctorum tanta est acies, prout sibi dissidentes persuadent, quin similis opponi posset, nec tanta eorum auctoritas, quae nos moueat, ut ad ipsorum castra transeamus. Tametsi enim ingens agmen, **IODOCO COCCIO** auctore, 3) produixerint, plures tamen inuiti, et cateruam adaugendi causa, sunt aduocati, siquidem nonnulli eorum loci ex spuriis et supposititiis libris sunt desumpti, nonnulli uero non probant id, quod probare debent, quia de pluribus loquuntur Angelis, quibus uel rerum creatarum cura demandata, 4) uel piorum salus curae esse, 5) dicitur. Quam

A 3

senten-

---

runt, intelligendum est Iudeis. Vid. **BARTOLOCCIUS** in **Biblioth. Rabbin.** Tom. I, p. 275, seqq. **COCCIVS**, l.c. p. 359. Veteres enim, qui sacras literas sunt fecuti, hanc traditionem non crediderunt.

3) In **Thefauro Catholico** Tom. I, p. 351, seqq. Conf. **BELARMINVS** Conc. IX in **Pf. XC**, Tom. VI, Opp. p. 352, seq. et alibi.

4) Quo referendi sunt e **Graecis**, **DIONYSIVS Areopagita**, **ATHENAGORAS**, **GREGORIVS Nazianzenus**, **EPIPHANIUS**, **ISIDORVS Pelus.** **SOPHRONIVS Hierosol.** **GERMANVS Constantinopol.** **IOHANNES Damascenus**, **NICEPHORVS**, e **Latinis**

Sententiam ultimam, quia cum sacris literis consentit, 6) nostram quoque facimus, reliquorum 7) uero hypothesi tanta nos mouendi uis non inest, ut contra diuinias tacentes 8) alii

quid

nis TERTULLIANVS, VICTORINVS *Piftan.* HILARIVS,  
GREGORIVS M. APONIVS, RABANVS *Maurus*, reliqui.

5) Ut DIDYMVS *Alexand.* GREGORIVS *Naz.* CYRILLVS  
*Alexand.* IOHANNES *Climacus*, ANASTASIVS *Synatus*,  
THEOPHILACTVS, EVTHYMIVS, e Latinis HILA-  
RIVS, AMBROSIVS, AVGUSTINVS, IONAS Aurelianen-  
sis, PETRVS DAMIANVS, et qui sunt alii permulti.

6) Vid. 2 Reg. VI, 17, Pl. XCI, 11, Matth. XIX, 10,  
Ebr. I, 14.

7) Quos inter retulit HERMIAM, IVSTINVM MARTY-  
REM, CLEMENTEM Alexandrinum, qui tamen adhuc dubius  
scripsit. Nam per gentes et ciuitates sunt distributae Angelo-  
rum praefecturae, τάξεις δὲ ταχέως, fortasse autem etiam ex iis  
sunt singulis, ORIGENEM, EVSEBIVM Caesar. BASILIVM M.  
EVAGRIVM, GREGORIVM NYSSEN., IO. CHRYSOSTOMVM,  
THEODORETVM, ANDREAM Caesar.  
PROCOPIVM *Gazaeum*, SEVERVM, ANTIOCHVM,  
ANASTASIVM *Nicaen.* OECVMENIVM, et ex Latinis  
HIERONYMV M., PRIMASIVM, ISIDORVM  
Hispal. AVDOENVM, BEDAM, REMIGIVM, RADVL-  
PHVM *Ardent.* aliosque recentiores.

8) Quanquam uero, recte scribit b. CALQIVIS, Tom. IV  
Syst. p. 77, Qu. 5, nihil obstat uideatur quo minus ordinarie

*SYNTHETICUM. INSTRUMENTA ETIQUETAE. APPENDIX. unius*

quid statuamus literas, quae nullam prorsus huiusmodi  
*Geniorum tutelarum* fecerunt mentionem, sed aut multis  
 piis unum, 9) aut uni pio multos, 10) aut piis in  
 genere Angelos tribuerunt praesidium et custodes. 11)  
 Sed tamen inuenisse sibi Scripturae S. locos uidentur  
 Pontificii, quibus, suam hypothesis probare sese  
 posse, contendunt, eoque consilio prouocant, primo,  
 ad DAVIDIS uerba, *Quoniam Angelis suis mandauit  
 de te, ut custodiam te in omnibus uitis tuis.* In ma-  
 nibus portabant te, ne forte offendas ad lapidem pedem  
 tuum, 12), ad uerba Solspitatoris, Ορέτε, μὴ καταφρονήση-  
 τε ἐν τῷ μικρῷ τούτῳ. Λέγο γὰρ ὑμῖν, ὅτι οἱ ἀγγελοὶ ἀντῶν  
 ἐν οὐρανοῖς διὰ πάντως βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ Πατέρος μου, 13)  
 et denique ad uerba Pauli, Ουχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργοὶ πνευ-  
 ματος εἰς δικαιολόγους διὰ τοὺς μέλοντας κληρο-  
 νοῦντος σωτηρίαν. 14) At quis non uidet, statum causae  
 dissentientes mutasse, nec id, quod probare debent, pro-  
 basse, quandoquidem quaestio non est, utrum sint angeli  
 piorum

---

*unus Angelus cuius fidelium assignatus censeatur, non tamen  
 id pro certo affirmari debet, multo minus ita unus Angelus cu-  
 stodie commissus credendus quisque, ut alii Angelorum eius  
 curam non gerant. Quare, tacente Scriptura, satius est,  
 ut etiam nos taceamus, contra uero iuxta eandem doctri-  
 nam de Angelis proponamus.*

9) PL XXXIV, 8. 10) 2 Reg. VI, 17, PL XCI, 11.

11) Matth. XIIIX, 10, Ebr. I, 14. 12) PL XCI, 11, 12.

13) Matth. XIIIX, 10. 14) Hebr. I, 14.



piorum custodes, nec, utrum multi angeli multis, vel uni, in tutelam sint dati, de quibus momentis illi loci agunt et canes, quasque sententias et nos defendimus, sed utrum unicuique homini suus datus sit Angelus, qui perpetuus eius sit comes ac praesidium, de quo autem momento in allegatis locis nihil proflus est lectu. Deinde Danielem appellant, atque ex ipsis uerbis 15) concludunt. Quia Angelus ad ipsum locutus est, et, quae uentura essent, edocuit, eidemque Angelo Princeps Persarum restitisse, contra uero Michael in eius auxilium uenisse, dicitur, ergo unicuique homini suus Angelus est datus. Quis autem unquam eiusmodi argumentationem per febrem somniauit? Porro ad Iuditee librum sese recipiunt, atque hacc uerba ad probandam hypothesis suam afferunt, *Vinuit Dominus, quoniam custodinit me Angelus eius.* 16) At enim uero, si Iudita dixisset, *quoniam custodivit me Angelus meus,* ueri aliquam speciem hic locus quamuis ex libro Apocryphico desumptus, atque eius auctoritas tanta non esset, quanta hic requiritur, habere uideretur, cum autem id, quod farta tecta que seruata fuerit, *Angelo Domini adscripterit,* ecquis uellet concludere, quia *Angelus Domini Iuditam conseruauit,* ergo unicuique homini datus est Angelus tutelaris. Tandem, palmarius qui ipsis est, opponunt locum, 17) quo nonnulli ad pueram, nomine Rhen.

15) Cap. X, 12, 13, extantibus.

16) Iudit. XIII, 20.

17) Act. XII, 15.

den, dixisse perhibentur, O ἄγγελος αὐτοῦ εἰσιν, Angelus eius est, scilicet Petri. Verum quidem est, aliquid speciei habere hunc locum, atque interpres uarias in sententias traxisse, sed, si circumstantiae paulo altius expendantur, uerus pariter sensus, ac quod ex eo neque probari possit, singulos suos Genios singulos homines habere, neque ab usitato vocabulo ἄγγελου recedendum sit, facile intelligitur. Nam, uti necessitas nulla nos urgere uidetur, ut a recepto uocis ἄγγελου, quo spiritum ministrantem denotat, cum CAMERONE, 18) HAMMONDO, 19) AMELIO, 20) aliisque discedamus, significatu, ita nec eorum explicatio, qua nuncium, h. l. significare opinantur, probanda nobis uidetur, licet uel maxime eam ornare studuerint. Quia enim ratione credibile est, nuncium a Petro, qui in interiori carcere cum custodibus fuerat inclusus, uti ex ipsius narratione manifestum est, inquietus, Διελθόντες δὲ περώτην Φυλακὴν καὶ δευτέραν ἥλθον επὶ τὸν πόλιν τὴν σοληνάν, τὴν Φέρονταν εἰς τὸν πόλιν, ἣντις αὐτομάτη μολχῆν αὐτοῖς, 21) mitti potuisse. Quo simul AMELII cogitatio, qua, per munera conciliatos suisse custodes, credidit, minime probabilis, sponte euanscens. Deinde puellam Rhoden ipsius Petri, non nuncii cuiusdam, uocem cognouisse, expresse dicitur, prout, eam recte quoque audiuisse et uocem accurate cognouisse, euentus docuit. Quare, cum sine urgente necessitate a litera recedendum non sit, in eorum perstandum esse sententia, arbitramur, qui statuunt uocem ἄγγελου in communiori, h. l. accipiendam esse significatu,

B

de

18) ad Math. XIII. 10. p. 140. Opp.

19) In N. T. ad Act. XII, 15.

20) In der Eroerterung der schwersten Schriftstellen, P. I. p. 1012, seq. 21) u. 10.

de spiritu scilicet ministrante. Quemadmodum enim nemi  
ni hoc videbitur mirum, quod Christiani nostri *Angelum Petri* nominarint, qui expendit, quod Iudeis haec  
opinio, singulos homines singulos suos habere Angelos,  
communis fuit, 22) nec tum ex eorum, qui Christiani fa-  
cti erant, animis in uniuersum ablata, sed potius ad per-  
multos tum Doctores, tum Laicos, per reliqua secula pro-  
pagata, 23) ita haec assertio Pontificiorum hypothesi  
nullum parit patrocinium, quoniam a praeiudicata opinio-  
ne ad ueritatem ipsam nulla ualeat conclusio, deinde ex  
*Petri* narratione colligitur, quod Angelum eiusmodi tute-  
larem nec habuerit, nec agnouerit, quoniam satetur ipse,  
24) quod hic Angelus non fuerit suis comes, sed spe-  
cialiter a Domino missus, inquiens, Νῦν δέος σληθός, ἐπι  
ξεπέσθε Κύρος τὸν ἀγρυπνέοντα, et sicut hic emissus di-  
citur a Domino ad Petrum liberandum, sic idem dicitur  
ab eodem, liberatione facta, discessisse, 25) qui certe actus  
neque cum recens Christianorum illorum praeiudicata o-  
pinione, neque cum ipso Angelo *Petri* tutelari, si talis  
ei fuisset, eiusque officio conciliari possunt. Quodsi enim  
eiusmodi Angelus *Petro* adfuisset comes, qualem illi statu-  
unt, quid, quaequo, opus fuisset, ut alius mitteretur Angelus,  
qui eum liberaret? Nonne idem Angelus tutelaris idem  
praeficare potuisset, aut an forte tantae fortitudinis is dicen-  
dus non est, ut catenus, quibus Petrus ligatus erat, soluere, e-  
ius custodia eum educere, atque in tuto collocare potue-  
rit? Quis non uidet siculnum tutelaris Angeli fundamen-  
tum? Si uero assertio fundamentum de tutelaribus An-  
gelis nullam est, quilibet intelligit, quod quaestiones quo-  
que

22) Vid. supra Nota. 2.

23) vid. Nota. 4.

24) u. 11.

25) u. 10.

que illae, quas ex hac hypothesi deduxerunt, *Vtrum*, scilicet, *Adamus et Christus quoque, utrum soli fideles, an infideles etiam, huiusmodi gauis fuerint tutelaribus Angelis?* *Quando hominibus custodes esse incipient, quando desinant?* *Virum eos propter peccata atrociora prorsus deserant, an redeant?* *Vtrum Angelas talis ipsius hominis formari, cuius sit, assumserit, in eaque apparuerit?* *Quid Christiani congregati crediderint, quae Angelus Petri commentitius annunciaturus sit, et quae id genus sunt aliae, sint nullae, et ad βεβίλους καὶ γεώδες πύθους ἡγήσεται?* (26) referenda. Sed tamen duos adhuc Scripturae S. locos afferunt, quorum alterius uerba sunt haec, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis,* (27) alterius autem sequentia, *Tollens se Angelus Domini, qui praecedebat castra Israël, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimitens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israël,* (28) quibus autem nihil illos probasse, ex eo intelligitur, quod partim conclusio non sequatur, quia *Angelus Domini* populum Israël praecessit, atque *Iacobum* ab omni malo liberavit, ergo singulis hominibus singuli Angeli sunt dati comites. Deinde quod in his duobus locis non de Angelo quodam creato sermo sit, sed de increate, de θεῷ nimirum, sive de Filio Dei, prout alterum locum ipse *Moses*, exposuit scribens, θεός autem ibat coram iis interdiu columna nubis ad ducendum eos in iusta, noctu in columna ignis ad lucendum illis. Alterum autem ipsa uerba Iacobi exponunt, qui-

---

26) De quibus PAVLVS i Tim. I, 4, IV, 7. Tit. I, 14, et alibi.

27) Gen. XLIX, 16. 28) Exod. XIV, 19.



quibus 29) *Angelo* tum liberationem ab omni malo adscribit, quod non creat*Angeli*, sed solius *Dei*, est, tum precatur, ut pueris benedicat, quod itidem non *Angelo* cuidam, sed *D eo*, est vindicandum, qui *Jacobo* et maioribus eius *Abrahamo* atque *Iacobō*, hanc benedictionem promiserat. 30) Atqui hic idem est *Angelus*, COM-MILITONES Optimi, in cuius gloriam hodie celebramus diem festum, quique nobis non tantum benedixit in diuitiis coelestibus, et ab omni malo nos liberavit, sed etiam quotidie manu sua protegit omnipotenti. In hoc fiduciam qui ponit, non confundetur. Reuocate, ut huius rei exemplum habeatis, in memoriam hunc superioris anni diem festum, qui tristissimam quidem optimae nostrae ciuitatis praenuntiabat euerctionem, cum eodem die calamitatum nostrarum fieret initium, sed tamen increati huius *Angeli*, nostri Sos-pitatoris, auxilio factum est, ut nos salvi ac superstites seruaremur, nec tota ciuitas funditus deleretur. Oremus igitur Eum supplices, ut imposterum quoque a nobis et reliquo ciuitatis nostrae parte funestam et obsidionem et euerctionem auerrat, pacem contra, pro paterna sua misericordia, diu expectatam mox restituat. Oremus Eum, ut mitissimi ingenii Principem, REGEM ac PATREM patriae nostrae Optimum indulgentissimumque, una cum REGIO PRINCIPE, HAE-REDE Saxoniae Clementissimo, ac tota STIRPE RE-GIA protegar, seruet, eosque in pace ad nos reducat. Haec uero uota nuncupantes istius simili pietatis memores sitis, qua largas, eorum causa, qui Euangelium nos docent, ad aram afferre manus iubemur.

P. P. ipso die festo, qui a S. Michaeli nomen habet.  
A. O. R. S. cIɔ:lcc LXI

29) Exod. XIII, 21, conf. Num. XIII, 14, Nehem. IX, 6, 12,  
Pc LXXIX, 15. 30) Gen. XV, 5, XXII, 17, 18, XXVI,  
4, XXIX, 14.

PRELO EPHRAIM GOTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

ULB Halle  
002 671 204

3



PA 20

B18



**Farbkarte #13**



RECTOR  
EMIAE VITEMBERGENSIS  
CHRISTIANVS  
MANACCIUS  
VRECONSVLTVS  
ETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
VS CVRIAЕ PROVINCIALIS  
TVS ATQVE ORDINIS IVRIDICI  
SOR EIVSDEMQVE SENIOR  
ATQVE H. T. DECANVS  
IBVS ACADEMICIS  
S. P. D.